

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Andreae Alciati Emblemata**

**Alciati, Andrea**

**Patavii, 1661**

Abies. Emblema CCII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

perspicue asserit, vt qui dumtaxat suum coniectaneum afferat. Pace tamen tua, docte Minos, dicam, non adeo à scopo aberrasse sententiam, quam tam calidè impugnas: si enim hę pullarię feles, & quibus officiosa manus (ò scelus) non iure dicendi sunt ἀλεσίκαρποι ἢ κλειτορίζοντες, nec

scio quos alios hoc nomine indiget. Probabat idipsum turpissimū vulgati petulantia iactatum proverbium, Italico idiomati familiaritate, quod sanctus pudor & casta aures hic eff. rri prohibent. Ergo ad abietem abeo.

Abies.

EMBLEMA CCII.



**A**PTA fretis Abies in montibus editur altis:  
Est & in aduersis maxima commoditas.  
COMMENTARIUM.

I.  
Abietis  
conside-  
ratio.

**A**BIES excelsa admodum & procerca est arbor, pinum altitudine superat, caudex eius rectus, inferius enodis, crescendo in altitudinem progreditur, naturali contractura peraequata ad cacumen vsq; circa quosdam ramos promit, ex eadem cauileis parte simul quaternos, ex aduet-

so ita fitos, vt decussim imitentur, & quatuor caudicibus lateribus erumpentes, tali ad fastigium vsq; ordine obseruato: ab his vero ramis & alii exeunt, sed bini tantummodò laterales, sibi mutuo oppositi, qui subinde deorsum putant, reliquis sursum magis reclinatis. Folia ramulos ac eorum propa-

propagines nullo ordine digesta circumdant, oblonga, teretia, & leuiter mucronata, angustiora albidioraq; quam pictæ.

I I.

Symbolū  
abietis.

ABIES imperitè dicitur Hispanis, *la haya*. Nam propriè quædam species pini est, quæ Hispanis *Abeto* dicitur: ex hac olim fabricabantur naues. Vnde etiam pinus pro nauī vsurpatur. Symbolum igitur præfert abies commoditatis in rebus aduersis, ducta similitudine à maris tempestate, & ab ipsa nauī, in qua seruamur. Quare non malè in hac nostra pictura naues, tritemes, & rates appinguntur. Pinus enim ex altis montibus in una flumina, melioris vltus gratia, deturbatur: leuis enim viscosaq; est, materiæq; nauigijs fabricandis aptissima. Locum igitur plerisque mutare expedit, & ab eminentiore statu ad humiorem deuoluē vtilitatis causa.

III.

APT A fretis Abies] nauigijs. Claudianus 2. de raptu Proserp.

*Apta fretis abies, bellis accommoda cornus.*  
Virgil. 2. Georg.

--- etiam ardua palma

*Nascitur, & casus abies visura marinos.*  
Idem 8. Æneid.

*Labitur vincta vadis abies.*

id est, nauis abiecta. Stratus quoq; 6. Thebaid. Abietem audacem vocat, quod ex ea fiant naues, quibus quid audacius? Sic autem ait:

*Hinc audax abies, & odora in vulnere pinus.*

In montibus editur altis] Sic Maro 7. Eclog.

*Fraxinus in siluis potesthorrima, pinus in hortis,*

*Populus in fluuijs, abies in montibus altis.*  
Et Plinius lib. 16. cap. 10. In montibus editissimis nascitur abies, ceu matia fugeret.

Ex abiete  
naues  
abietis.

*Est & in aduersis.]* Locis contrariis: dū enim abiectæ sit nauis in aquis fluctuans, videtur locum habere sibi contrarium. Sic Plinius: Abies nauigijs expetitur; situs in excelsis montibus, ceu matia fugeret, nec forma alia: materies verò præcipua trabibus, & plurimis vitæ operibus. Non piget Ambrosii ea de re huc sententiam è 3. Hexæmeron cap. 11. Adhuc: Abies, inquit, non contenta terrenis radicibus atq; æreo vertice, etiam casus maritimos tuto subitura remigat: nec solum ventis, sed etiam flu-

atibus certatura processit.

ABIE TIS schema potest accomodari iis, qui quanquam in loco satis commodo versentur, tamē ad ampliorem questum faciendum, & vt maiorem mercedem consequantur, sese periculis obicere non reformidant. Interim tamen in rebus aduersis sæpe clarescit virtus. Nam vt Ouidius canit 4. Trist. 3.

*Ardua per præcepta gloria vadit iter.*  
*Hæciora quis nosset, felix si Troia fuisset?*  
*Publica virtuti per mala facta via est.*  
*Ars tua Typhi iacet, si non sit in æquore fluuius:*

*Si valeant homines, ars tua Phæbe iacet.*

*Qua latet, inque bonis cessat non cognita rebus.*

*Apparet virtus, arguiturq; malis.*

Idem 5. Trist.

*Siliceo aduersis probitas exercita rebus*  
*Tristi materiam tempore laudis habet.*  
*Si nihil aduersis patiens vidisset Vlysses,*  
*Penelope felix, sed sine laude foret.*

Nota est Plutarchi studiosa disputatio, quomodo quis ab inimicis vtilitatem capiat. Sic est in natura hominū res aduersæ docent, prosperæ sæpius efferunt. *μαθήματα, μαθήματα.* & nocumenta fiunt documenta. In aduersis robur mentis sese aperit; virtuti contraria opponas necesse est, quæ lacessant aut prouocent, si explorandæ; languet non tentata, & torpet situ. In pace sit generosa mens, & rerū successu virtus non prosperissimo, rideat fortuna, nec affibilet tentata, interdum asperiore statu, quis fortitudinis languet. hic mihi laudem commendat? Nō constat virtus eductæ molis, si nondum percussa vento, resistat procellis necesse est ac frangat turbentem, si stabilis creditur ac patiens æui. Cū fluctus illidunt cauti, resiliunt, nec cedunt saxum: sic in hominem constantem quando incidunt motus isti turbationum ac verberant, obnititur ac retundit fractos animos conatu ac virili. Nec verò alio clypeo opus nisi patientiæ, quæ solatrophæum sicut in cælesti illo Capitolio: hoc fulcrum esse debet ac basis in omni huius vitæ lucta, spes coronæ scilicet, quæ subtrahita, fieri non potest quin succumbamus. Potes huc traducere, quæ prius dicta sunt de Persico arbore, translata facta meliore, Emblem. 143.

Picca

IV:

Virtus in  
aduersis  
clarescit.

Picca  
ca veru  
caudis  
fui macta  
supplicia  
laetitia  
nigritas  
etiam in  
nos virg  
tenuit  
quæstus  
tuo, ce  
luo ut